



Comosicus rerum naturalium cognitione apud Gothos in magno pretio fuit, tempore Iulij Cæsaris, anno 3930. ita ut etiam eorum pontifex constitueretur. Fuerat is Dicenei magi discipulus, à quo varijs artibus instructus erat. Itaque Comosicus apud suos scholam erexit, et Gothicam iuventutem in philosophia, & gentilitium sacrorum ritu instituit. Hinc factum, ut semper Gothi penè omnibus alijs Barbaris sapientiores olim extiterint, Græcisq; ferè similes, ut Dio refert, qui historias & annales Gothorum Græco stylo composuit. Verùm cùm deessent ipsis scriptores, huiusmodi præclari uiri cum suis monumentis ad posteros non peruenierunt. E-

os autem uocabant Tarabosteos & Pileatos. Cum hoc modo magna prudentia apud suos Comosicus ageret, communi consilio rex electus fuit. Id cùm Augustus Cæsar percepisset, Gothos euitandos ob fortitudinem & sapientiam censuit. Ursperg. abb. in Chron. Ioan. Mag. lib. 3. cap. 19.